DOMINICA XVI « PER ANNUM »

Ant. ad introitum

Ps 53, 6. 8

Ecce Deus ádiuvat me, et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ. Voluntárie sacrificábo tibi, et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est. Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Propitiáre, Dómine, fámulis tuis, et cleménter grátiæ tuæ super eos dona multíplica, ut, spe, fide et caritáte fervéntes, semper in mandátis tuis vígili custódia persevérent. Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Das locum in peccatis pænitentiæ.

Léctio libri Sapiéntiæ

12, 13. 16-19

Non est álius Deus quam tu, cui cura est de ómnibus, ut osténdas quóniam non iniúste iúdicas iudícium.

Virtus enim tua iustítiæ inítium est, et ob hoc quod ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis. Virtútem enim osténdis tu, qui non créderis esse in virtúte consummátus, et horum, qui te nésciunt, audáciam tradúcis.

Tu autem, dominátor virtútis, cum tranquillitáte iúdicas, et cum magna reveréntia dispónis nos: subest enim tibi, cum volúeris, posse.

428 Hebdomada decima sexta per annum

Docuísti autem pópulum tuum per tália ópera, quóniam opórtet iustum esse et humánum; et bonæ spei fecísti fílios tuos, quóniam iúdicans das locum in peccátis pæniténtiæ. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 85, 5-6. 9-10. 15-16 a (R.: 5 a)

- R. Tu, Dómine, suávis et mitis es.
- Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis, et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, et inténde voci deprecatiónis meæ. R.

Omnes gentes quascúmque fecísti vénient, et adorábunt coram te, Dómine; et glorificábunt nomen tuum,

quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: tu es Deus solus. R.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, pátiens et multæ misericórdiæ et veritátis.

Réspice in me et miserère mei. R.

Lectio secunda

Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
Fratres:

8, 26-27

Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram; nam quid orémus sicut opórtet nescímus, sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus; qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis. — Verbum Dómini.

Alleluia

Cf. Mt 11, 25

R. Allelúia. V. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ, quia mystéria Regni párvulis revelásti.
R. Allelúia.

Evangelium *

Sinite utraque crescere usque ad messem.

🕂 Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

13, 24-43

In illo témpore:

Aliam parábolam propósuit Iesus turbis dicens:

« Símile factum est Regnum cælórum hómini qui seminávit bonum semen in agro suo. Cum autem dormírent hómines, venit inimícus eius et superseminávit zizánia in médio trítici et ábiit.

Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuérunt et zizánia. Accedéntes autem servi patris famílias dixérunt ei: "Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia?" Et ait illis: "Inimícus homo hoc fecit".

Servi autem dicunt ei: "Vis, imus et collígimus ea?" Et ait: "Non, ne forte colligéntes zizánia eradicétis simul cum eis tríticum, sínite útraque créscere usque ad messem; et in témpore messis dicam messóribus: Collígite primum zizánia et alligáte ea in fascículos ad comburéndum ea, tríticum autem congregáte in hórreum meum "».

Aliam parábolam propósuit eis dicens: « Símile est Regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo; quod mínimum quidem est ómnibus semínibus, cum autem créverit maius est holéribus et fit arbor, ita ut vólucres cæli véniant et hábitent in ramis eius ».

Aliam parábolam locútus est eis: « Símile est Regnum cælórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus donec fermentátum est totum ».

Hæc ómnia locútus est Iesus in parábolis ad turbas, et sine parábola nihil loquebátur eis, ut adimplerétur quod dictum erat per Prophétam dicéntem: « Apériam in parábolis os meum, eructábo abscóndita a constitutióne mundi ».

Tunc dimíssis turbis venit in domum, et accessérunt ad eum discípuli eius dicéntes: « Díssere nobis parábolam zizaniórum agri ». Qui respóndens ait:

« Qui séminat bonum semen est Fílius hóminis; ager autem est mundus; bonum vero semen, hi sunt fílii Regni; zizánia autem fílii sunt Mali, inimícus autem qui seminávit ea est diábolus; messis vero consummátio séculi est, messóres autem ángeli sunt.

Sicut ergo colligúntur zizánia et igni comburúntur, sic erit in consummatióne sæculi: mittet Fílius hóminis ángelos suos, et cólligent de Regno eius ómnia scándala et eos qui fáciunt iniquitátem, et mittent eos in camínum ignis; ibi erit fletus et stridor déntium. Tunc iusti fulgébunt sicut sol in Regno Patris eórum.

Qui habet aures áudiat ». — Verbum Dómini.

vel brevior

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

In illo témpore:

13, 24-30

Aliam parábolam propósuit Iesus turbis dicens:

« Símile factum est Regnum cælórum hómini qui seminávit bonum semen in agro suo. Cum autem dormírent hómines, venit inimícus eius et superseminávit zizánia in médio trítici et ábiit.

Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuérunt et zizánia. Accedéntes autem servi patris famílias dixérunt ei: "Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia?" Et ait illis: "Inimícus homo hoc fecit".

Servi autem dicunt ei: "Vis, imus et collígimus ea?" Et ait: "Non, ne forte colligéntes zizánia eradicétis simul cum eis tríticum, sínite útraque créscere usque ad messem; et in témpore messis dicam messóribus: Collígite primum zizánia et alligáte ea in fascículos ad comburéndum ea, tríticum autem congregáte in hórreum meum"». — Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Congregabo reliquias gregis mei, et suscitabo super eos pastores.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ

23, 1-6

« Væ pastóribus qui dispérdunt et dilácerant gregem páscuæ meæ » dicit Dóminus.

Ideo hæc dicit Dóminus Deus Israel ad pastóres qui pascunt pópulum meum: « Vos dispersístis gregem meum, et eiecístis eos, et non visitástis eos; ecce ego visitábo super vos malítiam studiórum vestrórum » ait Dóminus.

« Et ego congregábo relíquias gregis mei de ón.nibus terris, ad quas eiécero eos illuc; et convértam eos ad rura sua, et crescent et multiplicabúntur.

432 Hebdomada decima sexta per annum

Et suscitábo super eos pastóres, et pascent eos; non formidábunt ultra et non pavébunt, et nullus quærétur ex número » dicit Dóminus.

« Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum; et regnábit rex et sápiens erit, et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

In diébus illis salvábitur Iuda, et Israel habitábit confidénter; et hoc est nomen quod vocábunt eum: "Dóminus iustus noster" ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3 a. 3 b-4. 5. 6 (R.: 1)

- P. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.
- Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit: in páscuis viréntibus me collocávit, super aquas quiétis edúxit me, ánimam meam refécit. R.

Dedúxit me super sémitas iustítiæ propter nomen suum.

- Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis, non timébo mala, quóniam tu mecum es.

 Virga tua et báculus tuus ipsa me consoláta sunt. ...
- Parásti in conspéctu meo mensam advérsus eos qui tríbulant me; impinguásti in óleo caput meum, et calix meus redúndat. ».
- Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me ómnibus diébus vitæ meæ, et inhabitábo in domo Dómini in longitúdinem diérum. R.

Lectio secunda

Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 2, 13-18 Fratres:

Nunc in Christo Iesu vos, qui aliquándo erátis lon-

ge, facti estis prope in sánguine Christi.

Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum et médium paríetem macériae solvit, inimicítiam, in carne sua, Legem mandatórum in decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítiam in semetípso.

Et véniens evangelizávit pacem vobis qui longe fuístis et pacem his qui prope; quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

Verbum Dómini.

Alleluia Io 10, 27

P. Allelúia. V. Oves meæ vocem meam áudiunt, dicit Dóminus;

et ego cognósco eas, et sequúntur me.

B. Allelúia.

Evangelium

Erant sicut oves non habentes pastorem.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 30-34

In illo témpore:

Conveniéntes apóstoli ad Iesum renuntiavérunt illi ómnia quæ égerant et docúerant. Et ait illis: « Veníte

vos ipsi seórsum in desértum locum, et requiéscite pusíllum ». Erant enim qui veniébant et redíbant multi, et nec manducándi spátium habébant.

Et abiérunt in navi in desértum locum seórsum. Et vidérunt eos abeúntes et cognovérunt multi, et pedéstre de ómnibus civitátibus concurrérunt illuc et prævenérunt eos.

Et éxiens vidit multam turbam et misértus est super eos, quia erant sicut oves non habéntes pastórem, et cœpit docére illos multa. — Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Domine, ne transeas servum tuum.

Léctio libri Génesis

18, 1-10 a

In diébus illis:

Appáruit Abrahæ Dóminus in conválle Mambre, sedénti in óstio tabernáculi sui in ipso fervóre diéi. Cumque elevásset óculos, apparuérunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidísset, cucúrrit in occúrsum eórum de óstio tabernáculi, et adorávit in terram.

Et dixit: « Dómine, si invéni grátiam in óculis tuis, ne tránseas servum tuum; sed áfferam pauxíllum aquæ, et laváte pedes vestros, et requiéscite sub árbore.

Ponámque buccéllam panis et confortáte cor vestrum; póstea transíbitis; idcírco enim declinástis ad servum vestrum ». Qui dixérunt: « Fac ut locútus es ».

Festinávit Abraham in tabernáculum ad Saram, dixítque ei: « Accélera, tria sata símilæ commísce, et fac subcinerícios panes ».

Ipse vero ad arméntum cucúrrit, et tulit inde vítulum tenérrimum et óptimum, dedítque púero; qui festinávit et coxit illum. Tulit quoque butýrum et lac et vítulum, quem cóxerat, et pósuit coram eis; ipse vero stabat iuxta eos sub árbore.

Cumque comedíssent, dixérunt ad eum: « Ubi est Sara uxor tua? » Ille respóndit: « Ecce in tabernáculo est ». Cui dixit: « Revértens véniam ad te témpore isto, vita cómite, et habébit fílium Sara uxor tua ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 14, 2-3 ab. 3 cd-4 ab. 5 (R.: 1 a)

- 🥦 Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo?
- Qui ingréditur sine mácula, et operátur iustítiam;
 qui lóquitur veritátem in corde suo,
 qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, et oppróbrium non íntulit próximo suo.

- Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malígnus, timéntes autem Dóminum gloríficat. ».
- Qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

 Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum. R.

Lectio secunda

Mysterium absconditum a sæculis, nunc autem manifestatum sanctis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses

Fratres:

1, 24-28

Nunc gáudeo in passiónibus pro vobis, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea pro

córpore eius, quod est Ecclésia, cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei quæ data est

mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei,

mystérium quod abscónditum fuit a séculis et generationibus — nunc autem manifestátum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas fácere divítias glóriæ mystérii huius in géntibus, quod est Christus in vobis, spes gloriæ;

quem nos annuntiámus, commonéntes omnem hóminem et docéntes omnem hóminem in omni sapiéntia, ut exhibeámus omnem hóminem perféctum in Christo.

Verbum Dómini.

Alleluia

Cf. Lc 8, 15

Allelúia. V. Beáti qui in corde bono et óptimo verbum Dei rétinent,
 et fructum áfferunt in patiéntia.
 R. Allelúia.

Evangelium

Martha excepit illum. Maria optimam partem elegit.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 38-42 In illo témpore:

Intrávit Iesus in quoddam castéllum, et múlier quædam Martha nómine excépit illum. Et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus.

Martha autem satagébat circa frequens ministérium; quæ stetit et ait: « Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? Dic ergo illi ut me ádiuvet ».

Dominica 437

Et respóndens dixit illi Dóminus: « Martha, Martha, sollícita es et turbáris erga plúrima, porro unum est necessárium: María enim óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea ». — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Deus, qui legálium differéntiam hostiárum unius sacrifícii perfectióne sanxisti, áccipe sacrifícium a devótis tibi fámulis, et pari benedictióne, sicut múnera Abel, sanctífica, ut, quod sínguli obtulérunt ad maiestátis tuæ honórem, cunctis proficiat ad salútem.

Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem

Ps 110, 4-5

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus; escam dedit timéntibus se.

Vel: Ap 3, 20

Ecce sto ad óstium et pulso, dicit Dóminus: si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi iánuam, intrábo ad illum, et cenábo cum illo, et ipse mecum.

Post communionem

Pópulo tuo, quésumus, Dómine, adésto propítius, et, quem mystériis cæléstibus imbuísti, fac ad novitátem vitæ de vetustáte transíre.

Per Christum.